

In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Bruno dei gratia  
sancte Coloniensis ecclesie electus. omnibus xpi fidelibus tam futuris  
quam presentibus in perpetuum. Universis sacrosancte matris eccle-  
sie filiis notum esse uolumus. quod cum ecclesia de Monte  
multiplicibus impedita esset debitis et rariis artata impedimentis.  
in ea aliquatenus ab his incommodis de proprio exui potuisset nisi peri-  
culum incurrisset. godescalcus pietatis homo. inopie eiusdem  
ecclesie condescendens. sine spe alicuius recompensationis. ipsam  
ab imminenti ruina intuitu dei liberauit. et tres centas <sup>marcas</sup> Godefrido  
qui eo tempore abbas extitit. simul et confratribus in festo sancti  
martini accommodauit. hoc interposito. ut quia predictam pecuniam  
in breui recuperare non possent. tantum. xxv. marcas de bonis in  
ysackeroode. et boungarde. et lorde. prouenientibus. predicto gode-  
scalco singulis annis commodius persoluerent. superflua uero  
utilitati ecclesie cederent. Respicens igitur abbas benignum  
caritatis officium. communicato totius ecclesie capitulo. collate  
beneficentie respondit. et prefato godescalco. quatuor carretas  
uini melioris de curte in hoggheim et preterea. duodecim maldra  
tritici in vorste in beneficio tradidit. Postquam uero ipse  
ipsum godescalcum decedere contigerit. uxor ipsius quamdiu  
uixerit usus fructum de eodem beneficio una cum filio percipiet.  
quod si filius mortua matre superstes fuerit. et uirtutum  
merita apud ecclesiam obtinere poterit. eodem beneficio  
sicut et mater gaudebit. Si autem et filius antequam uniuersa  
debita persoluantur obierit. quecunque residual fuerint simul et  
beneficium ad ecclesiam libere redibunt. et heredes ipsorum  
nullum ad ea <sup>habeant</sup> / acquirenda de cetero <sup>habeant</sup>. Ne quis  
igitur maliciosus fraudem possit inferre. uel hanc uerita-  
tem aliqua - - - - -

*[Faint, illegible handwritten text in a cursive script, likely a medieval manuscript. The text is mostly obscured by fading and bleed-through from the reverse side.]*

*[Faint, illegible handwritten text visible on the right edge of the page, possibly from the adjacent page.]*